Utrecht University Library
Partner in Science
Universiteit Utrecht

De festo Aurei Velleris Trajecti celebrato, a Carolo eius nominis quinto imperatore, eius ordinis praeside, ipsisque eiusdem ordinis heroibus, anno 1546.

https://hdl.handle.net/1874/339135

De festo aurei velleris Traiecti celebrato, a Carolo eius nominis Quinto Imperatore, eius ordinis Preside, ipsisque eiusdem ordinis heroibus. ~~[illegible]~~ Ao 1546.

De prestantissimo aurei velleris ordine festum celebrari ceptum est Ultraiecti in Ecclesia Cathedrali D. Martino sacra 2a Januarii a meridie sub horam quartam, finitum quinta mensis eiusdem circa horam meridianam.

Primo die ad vesperas item horam circiter quartam caelo undique quam densissime ningente. Processerunt celebri pompa ab aula Caesaris, Monasterio videlicet Dominorum Teuthonicorum, iuxta menia civitatis ad plagam occidentalem, primum Canonici quinque Ecclesiarum, vestiti omnes prolixioribus indumentis quorum usus in sacris tantum est cappas vulgus vocat partim ex bysso purpura sericoque, partim ex auro arte plumaria varie confectis. Deinde Abbates et Episcopi mitrati in vestimentis eque ad sacram religionem spectantibus, quorum hic erat numerus et distinctio. Primo ordine Abbates quatuor bini incedentes, ante quos suus cuiusque famulus baculum pastoralem anteferebat, sacellanus a tergo sequebatur. Priores duo, Abbas a Barna et Abbas Insularis a Marieweerdt, Posteriores vero Abbas Egmondanus, abbas S. Bavonis Gandavensis. Hos totidem Episcopi sunt subsequuti e quibus Episcopus ~~[illegible]~~ Ebronensis qui et Suffraganeus Episcopi Traiectensis ac Episcopus Missenensis simul et Episcopus Tornacensis et Cameracensis congrediebantur. Postremus in hac ~~[illegible]~~ classe ibat Episcopus Traiectensis duobus sue diœceseos comitatus Abbatibus, dextrum latus abbas ad S. Paulum in Traiecto, sinistrum clausit Abbas S. Laurentii in Oestbroeck. Caeterum ministri Episcopi Traiectensis Amelius Nieuelleri prepositus Leydensis et Canonicus Tra: alter Iudocus Moerkerken Cano: et Thesaurarius cathed: Eccle Tra: quorum hic pone sequens Mitram pontificalem cum opus esset vel deposuit vel presulis capiti iterum imposuit, ille primus baculum gestabat pastoricium. Post hos Tubicines Caesaris numero quatuordecim, in equis, subinde ebuccinantes. Deinde Columniferi Massarios vocant, proxime Caduceatores olim heroes nunc heraldos vocant, habitu sui officii sequebantur. Hos rursum quatuor illustres eius ordinis officiarii Primus Dominus Franciscus Valesius armorum Rex et primarius ordinis aurei velleris heros Taison vocant, cui spectandum monile aureum ex humeris pendebat, in quod eorum omnium, qui huic ordini ascripti essent, insignia visebantur inserta. Secundus D. Nicolaus graphiarius Tertius D. Sterck Thesaurarius. Quartus D. Nigri Cancellarius, omnes in cultu ipsius ordinis bini sequebantur. Inde quatuor succedunt paria de ipso ordine dominorum, nam plures non erant presentes, ex quibus primi erant Comes Burensis et Comes Laleyn. Deinde D. de Bossu et D. de Brederode. Tertio loco D. de Pyenois et Comes de Reulx: post quos D. de Tresignir, et Dux Arseschotie eius ordinis Decanus absente Palatino archidiacono: Caesaris quam declinare volens ad eum Oratorem [illegible] [illegible] fol. 264.

~~[illegible]~~

Hubertus Thomas Leodius in Vita Frederici 2. Electoris Palatini fol. 264. Caesar Ultraiecti festum aurei velleris celebrare constituit, convocatis proceribus eius ordinis, cum inter eos [illegible] Fredericum 2. Elect. Palat. omisit. Quum interea persuasus [illegible] a Protestantibus esset. Indies magis ac magis suspicionem augebat ab [illegible] misit.

horum omnium colla torques aurea in modum aurei velleris circun-
dabat. Denique Caesar postremus cum pariformi ordinis habitu et collari
ornamento solus est subsecutus. Post Caesarem sequebantur Ferdinandus
Archidux Austriae Ferdinandi Romanorum Regis filius medius, Princeps
Pedemontium a dextris, Dux ab Alva a sinistris. Habitus Ordinis
fuit vestis larga et fluxa ex humeris in talos usque demissa, cum
manicis item largis et amplis, quam cingulum circum lumbos astrin-
gebat. Pileus quoque ad hunc habitum pertinebat, qui instar capitii
antiquitatem referentis erat, cum tortili et in se convoluto circum orifi-
cium ambiente limbo, qua parte capiti imponebatur, versusque verticem
aperturam fluxam habebat, et vagam in occiput ac cervice recumbentem
cum cauda astructa et longiuscula, ex latere altero annexa, quae collo
circunvoluta pileum capiti, cum opus esset, detractum et in humeros
repositum ne diffluere ac delabi indecentum posset, coercebat. Hic
habitus ordinis perpetuo triduo talis fuit, sed per varietatis colore
diversus. Primo enim die totus ruber fuit ex purpura, Altero die in
missae officio, eodem usi sunt. In vesperis totus niger ex panno laneo,
quod vigiliae ~~tum~~ pro defunctis haberentur. Tertio itidem mane niger
erat, quo tempore Missa pro defunctis celebrata est. In vesperis autem
eiusdem diei vestis alba, pileus ruber fuit, quarto die eiusdem coloris
vestitu amicti ~~et~~ sunt quo pridie vesperi, albo vero et coccineo pileo in
missa, quae huic festo finem imposuit. Ingressi itaque solemni illa
processione in templum D. Martini, cuius parietes antiquis undique et
ordinis aulaeis praesumptuosis, ex auro et serico contextis, de historia Gedeonis,
ex qua aurei velleris ordo ducit originem, Philippo cognomento bono Burgundiae
Duce primo institutore, in chorum, cuius subsellia omnia parietesque propinqui
Rosea purpura constrati refulgebant, recepti sunt, ubi statim vespertinae
preces decantari coeptae sunt a Cantoribus Caesaris in pensili et transverso
supra chori limina inambulachro consistentibus. Locus Caesari supremus
a dextris erat sub aurei velamenti umbraculo, ex eodem latere 7. ordinis
Viri, sub suis singulis armis et insignibus supra se depictis. A sinistris
solus Comes de Reulx consedebat: quatuor vero ordinis officiarii, ante
Caesarem a dextris, in inferioribus subselliis consistebant. Heroes a
sinistris, infra subsellia inferiora et in medio pene chori stabant.
Tubicines superne in testudinis templi inambulachro et circuitu constitere.
Regina Hungariae Caesaris soror cum aliquot heroinis ac nobilioribus
pedissequis suis. In pensili cameratura a sinistris chori per transenna,
sunt cancellulos recens tum fabrefactos in hoc ne a populo videri
posset, spectabat omnia. Archidux Austriae cum principe Pedemontium
sub inambulachro, in quo cantores consistebant, a sinistris Imperatoris
stabant. Episcopis ante summum altare ^ in collocato ibidem sedili
locus fuit designatus. Oratores et legati quotquot aderant ibidem e
regione ad sinistram super altero scamno consederunt. Vesperis et fest.
Cerimoniis iam absolutis inter sextam et septimam horam, exitum de templo.

Oxaal .i. Hooch-saal. Latine odeum, post statio cantorum.

^ a dextris.

Secunda die, 3 videlicet Januarij itum est ad templum mane sub horam 10am
exitum inter duodecimam et primam. Primum prodibant tubicines Caesaris
pedites, deinde columniferj, tertio heroes, quarto officiarij, post hos dominj
ordinis et Caesar habitu toto rubro, omnesque praeter tubicines in equis
erant. Caeterum Epi abbatesque ac reliquj in sacris ministrantes, qui
pridie eius diej sub vesperas praecesserant, tum Epis eodem quo
supra schemate intra Basilicam Martinianam paratj stabant, praestolantes
adventum Imperatoris. Advenienti igitur cum summa alacritate ad valvas
usque templi laetj accurrerunt, Demumque ingressis omnibus Decanus maioris
aedis, eximius ille D. Joes Vorstius, sacrosanctum dominicae crucis lignum,
Caesari osculandum porrexit, quo osculato, mox Epus Traiecten. aspergillo
aquam lustralem leniter aspersit. His demum peractis ordinate chorum
subeunt, rem auditurj sacram Officium Missae de S. Andrea apostolo egit
Georgius Egmondanus Epus Traiecten. Ad Offertorium liricines aliquot,
e superiorj aedicula, quae summo imminet altarj, inflatis lituis dulciter
musiceque prius praeludebant. Deinde tubicines atque buccinatores superne in
circuitu sub testudine chorj consistentes acerrime personabant, quousque
oblatione facta, ad suum quisque locum redijsset. Ad vero singulos ordinis
duces solemnj titulo et cuiusque recessione nominatim vocatum ibat
Franciscus Valesius armorum Rex et primarius aurej velleris heros, inci-
piens primum a Caesare, deinde ad singulos ordine transiens, quorum illorum
arma et insignia supra depicta cum titulo erant, sive praesentes essent
sive absentes. Absentium vero nomine cum ordo sic postulasset, alius
quispiam praesentium obtulit. Ad Caesarem itaque primum cum venisset, hoc
modo dixit. Sacratissime excellentissime potentissime Princeps Carole
Austriace divina clementia Imperator Romane semper Auguste, huius
nominis quinte Hispaniarum et utriusque Siciliae Rex, Archidux Austriae
Dux Burgundiae ac Brabantiae, Comes Flandriae Zelandiae et Hollandiae
et huius aurej velleris praeses et vere primas: venj ad Offertorium.
(nam hic titulus sub armis Caesaris sic erat scriptus) Haec ubi perora-
vit, extemplo sequitur Caesar, cuj praesentes assurgunt omnes apertoque
capite reverenter inclinant. Cum iam obtulisset, reversus est ad sedem
suam. Demumque sic ordine ad singulos ut quisque in ea professione vel
dignior vel antiquior erat ab heroe progressum est. Absentium vero
(nam aberant multj) Gallorum Regis locum supplevit Maximilianus
Comes Burensis nec non et Regis Anglorum. Hic proinde surgens
a sede sua, quae erat ultima a latere Imperatoris, porrexit primum
ad locum Regis Franciae, ubj Regia nomenclatione, a praedicto armorum
rege compellatus atque ad oblationem invitatus, Imperatore in pedibus
stante (stabat siquidem Caesar donec omnes Regum vicarij obtulissent)
Caesarj reverentiam exhibens, transijt ad offerendum. Reversus ab
altarj Regis Angliae locum occupat, cuj rursus adest Valesius, celebrj
Regis Angliae praemisso titulo vocans ad oblationem, atque ad hunc modum
a caeteris quoque praesentibus, absentium vicem gerentibus in offerendo

facilitatum est. Locum Regis Poloniae supplevit Comes de Reulx,
Locum Palatini Dux Austriae, Locum Ducis Calabriae, Ducis de Pheriges,
Constabilisque Castiliae Comes ~~Dux~~ de Bossu. Locum Dni Praton Praefecti Traiecten.
valetudinarii Comes de Albein, Locum Dni Sempii, qui et ipse id temporis
Traiecti adversa laborabat valetudine Dux Arschotius atque ita deinceps.
Oblatione facta. Cancellarius inquit de ordine et institutione aurei
velleris sermone gallico ~~dixit~~ eos ad convivium nomine Caes. Ma. vocavit
atque ita, absoluto Missae officio, eodem ordine, de templo ad aulam Caesaris,
ad apparatum ibidem convivium discessum est, atque a prandio circa horam
quartam reditum ad vigilias pro defunctis servandas, ordine quidem eodem
quo ante, ~~nisi~~ quod tubicines non processerunt, sed in templo, in designato
sibi loco Caesaream Maiestatem ac ducorum conventum operiebantur. Habitus
prorsus idem erat, qui pridie vesperi. Niger videlicet totus, lugubrisque, quod
pro mortuis exequiae celebrandae essent. Missae officium egit Carolus Epus
Tornacen. ad offertorium Tubicines non sufflarunt. Caeterum valesius ordine
citabat ad offertorium, non modo iam praesentes verum etiam defunctos ordinis
duces. Caesarem itaque primum aggressus Valesius armorum Rex, cum omnia illius
quae supra descripsimus praeclara epitheta recitasset, atque ad offerendum vocasset,
ardentem cereum, de ligno ante summum altare per medium transversim extenso
abreptum secum deferens, ei in manus offerendum porrexit, quem Caesar
acceptum, infixo prius aureo nummo heroi reddidit, eumque cum cereo praecedentem
usque ad altare subsecutus est, oblatoque et in locum suum per Valesium
reposito cereo reversus est Caesar, atque caeteri dni, solemni quidem ut dictum
est, tituli prolatione vocati, qui praesentes aderant. Verum receptum de
manu Regis Armorum ardentem cereum ipsimet ferentes, praeeunte
Valesio, in manus ministri altaris obtulere, quem deinde heros ardentem
in lignum, unde desumpserat relocavit. Absentium locum atque officium,
(ut in primo sacro narratum est) praesentium aliquis subiit. Sicubi
vero mortui essent, quorum ingens erat numerus, nemo pro defunctis
obtulit, sed Rex armorum recitato nihilominus et solemniter expresso cuiusque
mortuorum titulo, statim sibi ipsi respondit, insignia eius respectans,
Trespassé, id est mortuus est, cereumque deinde ad aram deferens extinctum
in locum suum reposuit. Post offertorium D. Nicolaus Grapheus oratione de
omnibus qui in eum ordinem ab initio recepti essent, sermone gallico
habuit. A meridie reditum est ad templum ad medium quintae, exitum
sub horam septimam. Habitus tum erat pallium ex bysso albo et pileus
coccineus sicuti prima die. Quarta die reditum est ad sacram
aedem, mox post horam nonam eodem ordine et vestitu quo pridie
vesperi. Sacrum est de Dna nra Deipara habitum, cuius officium
Epus Missenen. ex Sabaudia peregit. Ad offertorium autem Caesarem
progressere, primum heroes, deinde officiarii ordinis: Post, ipsi ordinis dni,
postremum Imperator solus oblationem offerens, quam de manu eius iunior
Princeps Ferdinandus Archidux Austriae ad altare excipiens altaris
ministro porrexit. Inter eundem vero et redeundum tubicines superiore
lituis et tubis modulantur. Peracto tandem sacro producti ab heroibus

et officiarijs ordinis ante Caesarem quatuordecim viri nobiles, quos ense stricto ante ipsum procumbentes leniter in cervicem feriens milites seu equites auratos creavit, inter quos primus Franciscus Valesius, unus officiariorum erat, atque hic postremus dies fuit, qui festo huic ordinis Aurei Velleris finem imposuit.

De convivio aurei velleris heroibus a Caesare postridie facto.

Ad hoc Epulum magnificum et persumptuosum ordinis dominis Caesarea Maiestas fecit 3a Januarij in suo hospitio, quod habuit in Coenobio Fratrum Teuthonicorum in quo apparando omnes totius aulae coqui districti fuere. In culinis centum assatorum verua ferebant ollis elixorum, omnia coquinarum latera circunquaque ad primas obsepta ac referta. Nullum non ibi lauticiarum ac delitiarum genus visum. Consessum simul in ampla et admodum spaciosa aula ad mensam quadraginta convivarum capacem, singulis intervallo decem pedum seiunctis, ex uno eodemque in eodem omnibus latere singulisque sua fercula, cuiusque statu servato, praestita sunt ac servitium a suis cuique ministris, hoc autem ordine consederunt. Caesar in medio mensae sedit. ad latus dextrum ~~D. de Tresignie,~~ ~~Comes de Reulx, Comes de Bossu, Comes Buren.~~ Dux Arschotius, Comes de Pinoys, Dns de Brederode, Comes Lallaminus. Ad sinistrum D. de Tresignie, Comes de Reulx, Comes de Bossu, Comes Buren. E regione huius mensae caesareae collocata erat mensa officiariorum ordinis, nempe Cancellarij, Thesaurarij, graphiarij et Regis armorum. Benedictionem mensae Epus Cameracen. legit cum Episcopis Tornacen. et ~~Traiect~~ Missenen. cumque abbatibus quamplurimis. (Epus Traiecten. qui tum non aderat Reginam Hungariae, Imperatoris sororem, multasque nobiles et generosas heroidas, quae Caesarem sequebantur amplo admodum et opiparo imprimis convivio, intra aedes suas pontificales festivissime convivator excepit.) Episcopis atque abbatibus praedictis alterum triclinium paratum erat, in quo prandebant &c. Cum fercula mensae inferrentur, ordine procedebant, primum Tubicines, deinde Columniferi, tum heroes, postea D. Monfalconettus et D. Joes de Lare oeconomi, post quos Dux de Alba praecipuus Mtis suae oeconomus, postremo nobiles et reliqui ~~o~~ ministri qui ipsa fercula gestabant. Ad ingressum quoque in aulam convivij Tubicines subsistentes inflatis tubis ad singulos missus seu fercula ebuccinabant. Credenciarij Caesaris erat prior ordinis D. Joes Hierosolymitanus in Hispania, qui pincerna et praelibator erat et D. de Molenbaijs praecisor et praegustator. Adfuere etiam Cantores Caesaris, perpetuo fere vario carmine et concentu modulantes. Absoluto prandio Epus Cameracen. qui prius consecraverat mensam, una cum reliquis qui in consecratione adfuere, gratias omnipotenti Deo egit.

Electio vero eorum qui in eum aurei velleris ordinem recipiendi essent, dilata est in Capitulare eius Ordinis concilium quod proxime sequentibus diebus habendum fuerat, ni Caesar in veterem et domesticum morbum incidisset. Post ubi iam Imp. melius coepit habere convocatis ordinis viris habitaque rite electione, aureo vellere infrascripti donati sunt, huiusque ordinis milites creati videlicet.

Germani.

1 Maximilianus Rex Bohemiae sui quondam.
2 Albertus Dux Bavariae Princeps ~~et elector~~ Imperii
3 Fredericus Comes a Furstenberg, Heiligenberg et Werdenberg.
4 Petrus Ernestus Comes Mansfeldiae praefectus Lutzenburgiae.

Belgae.

1 Maximilianus a Burgundia, Marchio Veriensium, Praefectus Maris Oceani
2 Lamoraldus ab Egmonda, Gaveriorum Princeps, Comes Egmondanus Baro de Baer Dns a Fiennes, Auxi, Armentiers.
3 Philippus a Lanoy Princeps Sulmonen.
4 Philippus a Lalleing, Comes Hoochstraten, praefectus Gelriae.
5 Jacobus Comes a Ligni et Fauquenberge, Dns de Wassenaer et Burggravius Leyden.
6 Claudius a Vergi Champlite dns, praefectus Comitatus superioris Burgundiae.
7 Joachimus dns de Rye somelier de corps
8 Johannes a Lignes Comes ab Arenberg, dns de Barbenson, praefectus Phrisiae et Transisulaniae.
9 Johannes a Lannoy D. de Molenbaix, praegustator et praecisor Caes. Ma.
10 Petrus a Werchinio Seneschalcus Hanoniae.
11 Pontus a Lalleing Dns de Bugnicourt, praefectus Castri Cameracen.

Hispani.

1 Ferdinandus Alvarus a Toledo, Dux Albanus, Marchio Coriae et Comes de Salva terra.
2 Inigus Lopes a Mendoza Dux Infantastii
3 Mauricus a Lara Dux de Najara.
4 Petrus Ferdinandus de Corduba et Figueroa Comes de Feria.

Itali.

1 Emanuel Philibertus Dux Sabaudiae, Princeps Pedemontanus.
2 Cosmas de Medices, Dux Florentiae.
3 Octavianus Farnesius Dux Camerini.

C.4294